



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 82. Pontificis mandata Legato tradita, ac Cæsari significanda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

apud summum Pontificem tum quoque auctoritate fulcire coneris.

Sæcul. XVI.

A.C. 56.

§. LXXXI.

*Pontificis mandata Legato tradita, ac Cæsari significanda.*

Attamen Commendonus erat intentus exequi Pii V. mandata, quibus jubebatur Cæsarem monere, ne exemplum imitaretur Caroli V., qui dum se negotiis sacris immiscuit, confessionem Augustanam a Philippo Melanchtone conscriptam in comitiis proponi indulsit: præterea Commendonus tenebatur Cæsarem hortari, quatenus hic præprimis curet, ut Concilium nuper Tridenti celebratum ubique in Germania publicetur, ac recipiatur: si vero id in universæ Germaniæ Provinciis fieri non posset, saltem in civitatibus, quæ Majorum suorum Religionem retinent, promulgetur, præcipue Salisburgi, Constantiæ, Aichstadii, Augustæ, Frisingæ, Passavii, Brixiae, ac Tridenti: cum vero Episcopi, quo minus Diocesanæ Synodos celebrare possent, exinde impedirentur, quod Metropolitanis, a quibus initium fieri debuisset, nondum suas celebraverint Synodos, hinc Papa volebat agi cum Moguntino, ac ceteris Archiepiscopis, ut Concilium Tridentinum in Synodis suis recipiant,

Tom. I. 3. n. 3.

*Hist. Ecclesiast. Tom. XLVII. L 1 qua-*



Sæcul. XVI.  
A. C. 1566.

quatenus sic eorum exemplo Suffraganei in Diœcesi quisque sua illud recipiendum curent: insuper Papa jubebat moneri Coloniensem Archiepiscopum, ut confessioni fidei juxta Concilium Tridentinum promulgatæ, in cujus verba per Galliam, Italiam, Hispaniam, Sarmatiam, Hungariam passim Episcopi, etiam in Germania plerique Antistites juraverunt, & ipse subscribat: si vero id facere detrectaret, censuræ Ecclesiasticæ subjiçatur, & Septemvirali etiam dignitate spoliatur: insuper Papa præcipiebat, ut Cæsar provideret, ne Septemvir Saxo, quodocunque contigerit Magdeburgicum Archiepiscopum nuper electum fatis concedere, in eam totius Germaniæ Metropolim, sedisque Primatum, uti jam in tres vicinos Episcopatus fecerat, manus injiciat. Eandem quoque de Argentinensi episcopatu sollicitudinem impendere monebatur Imperator, cui etiam injunctum, ut sectariorum libros, quantum fieri posset, prohibere studeat, cum eorum lectio semper fidelibus sit summe perniciofa, ex adverso pios libellos a catholicis Scriptoribus elucubratos per omnes Provincias disseminari, ac præmia viris doctis a Præsulibus opulentis proponi, & seminaria ubique in civitatibus Episcopalibus juxta Concilii

Tri-



Tridentini præceptum institui latagat. Sæcul XVI.  
A C. 1566  
 Postremo Commendonus accepit in  
 mandatis, ut cum Cæsare, ac reliquis Im-  
 perii Principibus ageret, quatenus Pa-  
 latini Electoris audacia, cum aliam a  
 confessione in comitiis recepta ample-  
 ctatur, & non modo vicinos, sed amplos  
 ditionis suæ Præfules ubique diversis  
 vexationibus oppugnet, auctoritate Im-  
 periali quantocius coerceatur.

§. LXXXIII.

*Conventus Augustani exitus.*

Ex hisce mandatis id unice effectui  
 dabatur, quo prohibitum, ne in co-  
 mitiis de Religionis negotiis sermo fie-  
 ret: postquam enim Maximilianus cun-  
 cta negotia Imperium concernentia de-  
 cidi procuraverat, Imperii Ordines  
 sollicitabat, ut exteris necessitatibus  
 prospicerent, ac specialiter Turcis Hun-  
 garicæ excidium minitantibus sese op-  
 ponendi mediis intenti essent: hinc Or-  
 dines Cæsari pollicebantur, quod ad  
 quadraginta peditum, ac octo equitum  
 millia per octo menses alenda suppetias  
 conferre vellent: cum autem in mora  
 periculum esset, ideo Maximilianus con-  
 gregatos dimisit, ut adversus commu-  
 nem hostem arma pararet, præcipue  
 cum aliunde probe cognosceret, quod  
 reliqua negotia in comitiis discutienda